merito maxima minimè obtinentur, propterea qui prouehendus est, correptione humiliatus, humilitatem meretur. Tu igitur, ô homo, cùm te per tentationes humiliari videris, habeto id bonum signum omnino gratiæ appropinquantis. Nã sicut ante ruinam exaltatur cor, ita ante exaltationem humiliatur. Hoc testantur eloquia diuina, cùm dicunt. Deus superbis resistit: humilibus autem dat gratiam. Iac. 4. Est quoque humilitas vera, & hæc est duplex. Nam alia est humilitas, quam parit veritas nobis, & non habet calorem: alia est humilitas, quam caritas inflammat & informat. Hæc quidem in affectu, illa in cognitione consistit. In eo qui grauiter peccauit, & si amãda non est, admiranda tamen est. Si quis autem innocentiam retineat, & nihilominus humilitatem iungat, hic nempe geminum censendus est possidere decorem. Est etiam humilitas sufficiens & abundans, quæ tres habet gradus. Primus est subdere se maiori, & non se æquali præponere. Secundus est subdere se æquali, & nõ se præferre minori. Tertius est subdere se minori: & hæc est perfectio omnis humilitatis & iustitiæ. Est enim quædam humilitas, quæ primo gradui ascribitur, arcta & angusta valde: ita vt quàm citò ab ipsa pedem verteris, in peccatum cadis. Hæc non patitur quenquam alicui se præponere, nec æquare præposito, sed eidem in omnibus ex corde obtemperare. Est alia humilitas secundi gradus latior & amplior, videlicet, non se pari æquare, nec minori præponere. Hæc nanque vetat superbum esse apud socios, vetat auarum esse, verbis, rebus, affectibus, cõmunem se felicémque omnibus præstat. Nullũ malum alienum putat: bonum autem suum ideo maximè, quod alicuius bonum futurum est, amat. Qui talis est, nulli onerosus, officiosus cunctis est: neminem lædit, superiorem reueretur, æquali famulatur, ac minori se toto amabilem præbet affectu. Quisquis itaque huius secundi gradus cupit tenere fastigia, humilitatis ima sectetur. Si vult fratrem æqualem præuenire regnando, prius illum præueniat obsequendo. Vincat eum officiis, vt possit vincere sanctitate. Postremò sicut summa & intolerabilis superbia est superiori se præponere, sic inferiori se subdere plena perfectáque humilitas est: quæ dignitatem gradus tertij sortitur. Hæc nempe humilitas vnicuique ius suum reddit, non surripit honorem Deo, nec sibi attribuit alienum, sed dat Deo laudem, proximo famulatum, & retinet sibi vtilitatem: nullum diiudicat, nemini se præfert vel comparat, sed minorem omnibus se arbitratur, & locum nouissimum sibi eligit & optat. Huius summi gradus exemplum præbuit nobis saluator, cum coram peccatoribus, & inter peccatores baptizari voluit, & peccator apparere hominibus. Hanc perfectionem insinuauit Dauid, quũ aliquando est illi maledictum à seruo: at ille nequaquam sensit iniuriam, quia præsensit gratiam. 2. Reg. 16. Quid mihi, ait, & vobis filij Saruiæ? O vere hominem secundum cor Dei, qui potius vlciscentem dominum humiliter timuit, quàm exprobranti seruo mali quicquam inferendum putauit. Sæuiebat lingua maledica, & ille intendebat, quid ageret Deus. Vox maledicentis in auribus, & animus inclinabat se ad benedictionem. Et quoniam se deiecit, erectus est: subiiciebat se omnibus, & omnibus excelsior est effectus. Si huius Prophetæ appetimus dignitatẽ, toto annixu, animo prõpto, latóque affectu illius sequamur humilitatem.

De gradibus humilitatis, atque ipsius virtutis perfectione CAP. VII.

AMœnitate florum decorantur arua, fulget vniuersitas diuersitate creaturarum, commendabilis est firmamenti celsitudo rutilatione stellarum, præconio dignus efficitur animus exercitatione virtutum, sed & virtutis laus ex graduũ distinctione percipitur. Vnde vt facilius fastigium & perfectio humilitatis, de qua præsens loquitur tractatus, à legentibus comprobetur: congruè in hoc vltimo capitulo differendi sunt ipsius gradus: quatenus tãto laude dignior appareat, quanto eius ascẽsus videbitur sublimior: & eo lector efficiatur ad ipsam capessẽdam alacrior, quo clarius perspexerit: quòd ex adeptione eius æternæ retributioni fiat præ cunctis propinquior. Sciendum igitur, quòd sex sunt gradus, per quos anima ascendens, attingit ad humilitatis perfectionem. Primus enim gradus est, se peccatorem, vel contemptibilem esse agnoscere. Cùm nanque mens ex infusione gratię cœlestis irradiari cœperit & iustificari: tũc reuelantur, quę prius fœda latebant: tunc animi deformitas, peccandi pronitas, casus frequentia, omniúmque vitiorum fomites deteguntur. Et ex hoc lumine cõuincitur mens cognoscere infirmitatem suam, & horrere per gratiam, quod ante ignorabat in culpa. Nec potest se non intelligere peccatricem esse, quando in se, & contra se tot videt deformia apparere delicta. Hoc totum fit ex illustratione superuenientis & illustrãtis gratiæ: quia teste Paulo omne quod arguitur, Ephe. 5. à lumine manifestatur. Postquam autem anima ex memorato cœperit repleri lumine: tũc sagacius perlustrans cordis sui latebras ad secundum humilitatis ascendit gradum, in quo anima affectualiter sentit de se vilia, & se peccatricem cõprobat, quod totum prius superficie tenus ex dono gratiæ intellexerat. Intuetur quãtus sit, qui offensus est, quoties, qualiter, & quis sit, qui deliquit. Quæ omnia cùm grauẽt peccatum, & innumerabiliũ se mole oppressum videat delictorũ, formidare incipit, facinorosum se coram Deo clamat, pectus tundit, lacrymas fundit, nec diuinam desinit implorare clementiã, tanto affectuosius, quanto verius vulnerũ suorũ detegit fœditatem. At vbi anima per cõpunctionis gemitus & lacrymarum inundationem terserit priorum sordes vitiorum: nihil aliud restat, quàm vt ipsamet vel per confessionis sacramẽtum, seu per peccati odiũ aliis referet: quod sibi soli est notum, quatenus ex hoc capiat plenam de præteritis facinoribus indulgentiam, pronunciãs cum Propheta: Dixi confitebor aduersum me iniu- Psal. 31. stitiam meam, & tu domine remisisti impietatem peccati mei, propter quam propalationem meretur transcendere ad tertium humilitatis gradũ: ad quem quicunque peruenit, aliis narrat contra se, quid sibi de se reuelatũ est. Beatus plane, qui saluberrima compunctione perfusus aliis non veretur dicere, quod intus latet in corde. Talis nanque confessio meretur veniam, delet culpam, âcquirit gratiam, & nutrit humilitatem. Quum autem sint nonnulli, qui se peccatores esse cognoscunt, & aliis voce propria confitentur, non tamen ita volũt credi de se certum est, quòd tales necdum attigerunt ad quartum humilitatis gradum. Nam iis qui ad illum peruenerunt, hoc est